

AGNUS ZALUSCIANUS

TRIUMPHALI CRUCE

Ordinis Aquilæ Albæ

à SERENISSIMO INVICTISSIMO & POTENTISSIMO

AUGUSTO III.

Poloniæ REGE, Magno DUCE Lithvaniæ, Ruffiæ, Mazoviæ, Samo-
gitæ, Kijoviæ, Voſyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenciæ,
Severiæ, Cracoviæq; DUCE Saxonæ &c. &c. ELECTORE

S. R. Imperij.

INSIGNITUS

Dum

ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS D.

JOSEPHUS ANDREAS

COMES in ZALUSKIE

ZALUSKI

Episcopus Kijoviensis & Czerniechoviensis, Abbas, Commendatarius
Vachocensis, &c. in Equitem prædicti Ordinis

CREATUR,

Et per

M. JACOBUM PAULUM RADLINSKI

Polonum S. T. D. Ordinis Canonorum Regularium, & Custodum
Ssmi Sepulchri Præpositum Generalem Infulatum

Aliquot Carminum Fragmentis

EXORNATUS.

Annó Domini 1760. Mense Augusto.



V I L N Æ

Typis Sac: Reg: Majest: Patrum Minorum Conventualium.



INSTEMMA

Serenissimi, Illustrissimi & Celeberrimi Ordinis

ALBÆ AQUILÆ,

Cujus Inscriptio

In CRUCE

EXARATA

Est tenoris sequentis:

Pro Fide, Lege, & Rege

Tria sunt omnia: Axioma Philosophicum.

*Sancta Fides, Legum Candor, Regisq; potestas,
Ordinis est Equitum Gloria, forma; scopus:
Hæc tria servantes plene, simul omnia servant;
Nam tria sunt (Terris) omnia: plura nihil.*



INSTEMMA

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

ZALUSCIANÆ.

*Regia quidquid habet, de prædis omnibus ales,
Consumit totum, devorat, atq; necat:
Sed nunquam tanger JUNOSSAM dentibus AGNUM,
AGNUS enim superis, creditur iste facer.*

FRA:

XVIII, 3. 139



FRAGMENTUM I.

PRO FIDE.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Dominus JOSEPHUS ANDREAS Comes in Zaluskie ZAŁUSKI, Episcopus Kijoviensis & Czerniechoviensis, semper fortissimè certavit pro Fide Catholica, & hactenús integerrimè certat.

Ordinis insignis, quò Rex AUGUSTUS honorat
Corda Senatorum, Pontificumq; Thronos,
Officium primum, sanctum, munusq; perenne,
Est Christi cultus, firma tuenda Fides.
Istius fidei JOSEPH ZAŁUSCIUS aras,
Quantum condecorat, promovet, atq; sonat:
Non quærenda manent vestigia, signa modiq;
His pro monstrandis, BIBLIOTHECA satis!
Quam JOSEPH Præsul, magna fundavit in auge,
Hactenus & fundat, perficit, atq; locat.
Hoc ipso pariter, tot libros vexit in anno,
Gallorum Regnis, finitimisq; locis:
Quot tantum potuit, vel quot spectabat ad usum
Regni, conformes, ingenijsq; pares,
Hos vero libros per terram non tulit ipsam,
Sed per spumantes, terga profunda maris:
Ut prætium, terrâ non tantum sumat ab ampla,
Ast etiam capiat, Bibliotheca mari,
Porrò dum JOSEPH Præsul, Pastorq; stupendus,
Biblio-dat-thecæ, tot monumenta, libros:
Id facit ex fidei zelo, studioq; supremo,
Quò vult tutari, constabilire fidem!
Sancta Fides etenim, nullis defenditurq; armis
Fortiùs: ut doctis, egregijsq; libris.
Qui spirant, servant, monstrant virtutis amorem,
Qui Fidei veræ, dogmata prima docent.
Talibus & tantis pia Bibliotheca redundat,
Pontificis JOSEPH, fructibus, atq; libris!

His

His ergò Claves Petri, defendit & arces,
 His tutam, firmam reddit in orbe Fidem.
Hos ad discendos, volvendos, atq; legendos,
 Doctores currunt, Discipuliq; volant.
Concurrit passim properans Variavia tota,
 Et Regni Proceres, primaq; signa statûs.
Sarmaticus quotquot SCRIPTORES computat Orbis,
 Huc veniunt, cupiunt discere, scire, loqui.
Hinc capiunt largè Divina Volumina Patrum,
 Ex hoc tam vasto fonte, fluenta bibunt.
Hinc illustrantur, formantur, ritè docentur,
 Inveniunt quidquid, non reperere prius.
Nec capiunt soli, clarissima lumina Cives,
 Quos lactaverunt ubera nostra domi:
Ast etiam Proceres alieno Sole creati,
 Hinc lac, nectareum percipiuntq; cibum.
Et Majestatem mirantur molis apertæ,
 Quæ verè, Solis, Palladis estq; Domus!
Hæc quamvis libris alienis, splendet amæna,
 Sed pariter proprijs fulget amæna nimis!
Quos JOSEPH Præsul conscripsit, protulit orbi,
 Impressitq; suis sumptibus, arte, manu:
In quibus hæreticos errores destruit omnes,
 Et fundat, quidquid credere nôsse decet.
In libris ejus Majestas, mira venustas,
 Resplendet gravitas, blandaq; verba sonant!
Omnia præfulgent Authoris signa profundi,
 Prudentis, docti, magnanimiq; Viri!
Ex scriptis ejus constat, quod legerit omnes
 Authores mundi totius, atq; libros!
Ut Canones Sacros tuto percurrere motu,
 Atq; manu fida, volvere quisq; potest:
JOSEPHI Comitissudores, scripta, labores,
 Sic perscrutari, palpebra quæq; valet.
Non cernuntur ibi, tenebrôsæ verba loquelæ,
 Abstrusus sensus, deficit atq; stylus:
Non sunt obscuræ voces, elementa: notæq;
 Quæ magis involvunt, quam decorare solent:
Magnifico plano sed constant omnia sensu:
 Syllaba quæq; gravis, nobilis omnis apex!
Non reperitur ibi modici discriminis umbra,
 Nullus adest error, nulla figura mali.
Quanta subest libris impressis, gratia, candor,
 Tanta micat virtus, spiritus, atq; jubar!
Ad sacræ Præsul scandit dum Rostra Cathedræ
 Et voces tanquam fulmina densa tonat:

Corda

Corda movet populi, referat pro laudibus ora,
Numinis, ac fidei semina larga ferit.
Præfulis istius totissima cura, laborq;
Divinam Christi multiplicare fidem!
Pro fidei tantum, dum decertavit honore,
Albæ Aquilæ, meritò jure creatus Eques.

FRAGMENTUM II.

PRO LEGE.

Idem Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus Kijoviensis semper dexterrimè certavit pro Lege DEI, & Regni Poloniae, & hactenus zelosissimè certat.

Muneris alterius præscriptio, forma rigores,
Albæ quos Aquilæ ponere debet Eques:
Est pro Lege DEI cunctos sufferre labores,
Ac vitam legi, spontè litare Throni.
Et quisquam meliùs, ferventiùs, ampliùs unquam
Hac pro Lege DEI tela, vicesq; tulit?
Quam Kijoviensis Præful ZALUSCIUS Orbis,
Qui Regni Synodos, sine, labore sacras,
Immensum planè librum collegit in unum,
Omnibus ut terris, Lex manifesta foret.
Quotquot Pontifices, Synodos, statuere, Poloni,
Et quot cuderunt Jura tenenda gregi:
Has omnes Synodos, per tot jam sæcula factas,
Per Lechicum Præful, quæsiit omne solum.
Sicut quæsiit magno, summoq; labore,
Invenit tandem, nobile quidquid erat.
Non sic mercator conquirat in æquore gemmas:
Non sic piscator squammea signa capit:
Non sic thesauros absconditos quærit egenus,
Ut Synodos sacras, quæsiit iste Comes.
Inventis Synodis, fecit prægrande Volumen,
Quod vix per sæclum posset ab orbe legi!
O verè magnus Legum Zelator, Amator.
Qui Legem quærens, pondera tanta tulit!
Qui Leges tenebris damnatas, atq; sepultas,
Ad Solis Lechici publica signa dedit.
Has quotquot Synodos nostro renovavit in orbe,
Harum Fundator, Conditor esse patet.
Nam quoi Pontifices multi fecere seorsim,
Præfulis id JOSEPH condidit una manus!
Quid de Pontificum Bullis, Breviumq; favore,
Dicam? pro Regno sæcla per ampla datis?
Ex quibus hic Præful Bullaria sacra paravit,
Fecit & impressit, Soleq; digna tulit.

Id

Id dicam: Leges quod jam supereminet omnes:
 Qui cunctas illas parturit, atq; fovet.
 Dicam, quòd Bullas, Brevium venerando, vigorem,
 Ostrò Cardineò, murice dignus adest!
 Dicam: Pontificum supremo dignus amore!
 Illorum Bullas, qui Breve quòdq; colit!
 Nec solas Bullas, Synodos componere Præsul,
 Hic studuit: CLERI sic reparando statum:
 Ast etiam Leges Regni, de fonte Poloni,
 Æquali zelo, condecoravit ope.
 Nam quod prodierit Legum sublimè VOLUMEN,
 Impressum noviter, conspicuumq; Typis:
 Istius tanti, clariq; Voluminis AUTHOR,
 JOSEPH ZAŁUSKI causa, & origo, Parens.
 Ille dedit primum pro tanto Codice Votum,
 Consilium prudens, contulit Ille modum.
 Biblio-theca propria concessit abundos,
 Libros, qui Leges continuere Throni:
 Illeq; plantavit, Scriptorum rore rigavit,
 Spiritus Illius protulit istud OPUS.
 Incrementa DEUS, tandem concessit ab alto,
 Et sic facta brevi, fabrica tota LIBRI.
 Ex hoc collecto, grandiq; Volumine, quantum,
 Percipiant fructum Regna Polona, status!
 Nemo potest melius clarum producere verum,
 Quam Regni Lechici, Sarmata Lege fruens:
 Per dictum Legum surgens, oriensq; VOLUMEN,
 Prisca revixerunt jura, statuta, notæ:
 Antiq; Duces redivivi pulvere facti,
 Quando novus Legum, natus in Orbe Liber!
 Post succedentes PIASTORUM Sangvine Reges,
 Et libertatis, numina prima, PATRES.
 Credo resumpserunt, prima post funera vitam,
 Legibus his, quandò, reddita vita fuit.
 Quidquid enim prisca Reges, fortesq; Monarchæ,
 Primævi quidquid constituere Duces:
 Id totum renovat, tradit, monstratq; Volumen,
 Legum prisca, dulcis Imago, vigor!
 Et quis tantorum radix, & causa bonorum?
 Quis tantis Legum fructibus esse dedit?
 Hic, Qui persuasit Legum formare Volumen,
 Summa SENATORUM GEMMA, CORONA, ROSA!
 Ille Fidem sanctam sicut promovit ubiq;
 Sic vitam veram, Legibus Ipse dedit.
 Ista per Leges sanctè nunc vivit, & Ipse,
 Legibus in dictis, optat amatq; mori!
 Legibus hanc vitam dum Præsul reddidit omnem,
 Et vivit per eas, dulciter Ille simul:

Tunc

Tunc inter Leges Sanctas, Legumq; Parentem,
Abs quov s dubio mutua causa datur.
Hinc si quis dubitat: detur num mutua causa?
Præsule conspecto, legeq; stante sua:
Jam dubitare nequit: nam mutua munera vitæ,
Leges, & Præsul, dant referuntq; sibi.

Quidquid diximus in Fragmento II. de Collectione Synodorum, constat id ex Libro ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Kijoviensis, cui Titulus: Conspectus novæ Collectionis Legum Ecclesiasticarum Poloniæ: Ubi statim ab initio refertur Regestrum omnium Synodorum Poloniarum collectarum. De Bullis autem Pontificiis collectis, constat ex Libro ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Authoris, cui Titulus: Bullarium Romano Polonicum, continens Bullas Apostolicas Pontificum Romanorum, ad Reges, Episcopos, Proceres, vel Clerum Poloniæ directas: tum & Brevia Apostolica Ordine Chronologico.

Quam ad Volumen Legum constat ex Tomo I. ubi scriptor dicti Voluminis in Præfatione ad Lectorem sic inquit: *Jam ut aliquid de vetustissimis exemplaribus moneam, ex quibus integra religiosissimaq; Fide, cuncta extrahuntur, quæ hic continet Tomus, quæq; cæteri continebunt: Imprimis obligationem animi longè maximam profiteor, cunctosq; qui hoc utentur opere, profiteri oportet, Illustrissimo, Familiæ, Virtutis, & scientiæ claritudine, Viro, JOSEPHO ZAŁUSKI REFERENDARIO Regni, Eum inter doctissimos hac tempestate homines, tum inter scientissimos Juris Patrij, numerando: qui è sua, quam magnò studio sumptuque Ipse comparavit, omnis generis præcipuè verò publicis Regni monumentis locupletissimâ Bibliothecâ, plurimorum mihi Librorum scriptorumq; copiam fecit, quorum præcipua pars, alibi reperiri nullatenus potuisset. Quamobrem juxta ejus potissimum exemplaria (in quibus nihil est, quod à Republica approbatum, typisq; aliquando vulgatum non sit) cum nullibi major eorum copia, quàm in Załusciana hac Bibliotheca reperiatur, totum hoc singulari ejus beneficio, consilioq; prosequemur opus.*

FRAGMENTUM III.

PRO REGE.

Idem Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, D. Episcopus Kijoviensis & Czernichoviensis, certavit pro Rege, & hætenus certat gloriosissime, constantissime, & fidelissime.

Qui pro Lege, Fide, dextrè, prompteq; laborat,
Hic pro Rege suo dimicat, arma movet:
Dum pro Lege, Fide, mitis ZAŁUSCIUS AGNUS
Certavit verè, fortiter, atq; piè:

Tunc

Tunc pro Rege simul, votis certavit, & armis,
 Lex etenim Regem roborat, atq; Fides.
 Præter at obsequium fidei, legiq; dicatum,
 JOSEPH ZALUSKI plurima signa dedit:
 Per quæ monstravit, clarè, solideq; probavit;
 Se Regis Clypeum, Regis & esse Basim
 Et quod pro Regis, tantùm zelavit honore,
 Quantum poscebat cultus, & ejus amor!
 Assistens quisnam tam lōgo tempore REGI,
 Sicut JOSEPHUS nocte dieq; COMES.
 Currebant Anni, Menses, momenta volabant,
 Transibant solis plurima lustra dies,
 Et Præsul JOSEPH præsens, & promptus ad aulam,
 Prostrabat REGIS Regia jussa colens.
 Sumebant alij Fasces, subtellica, Mitras,
 Vestivit multos Purpura Sacra Throni
 JOSEPH ZALUSKI REFERENDI Jura Ministrans
 Expectans, patiens, dissimulansq; fuit:
 Non tamen à Regis folio, discessit & aula,
 Sed se præsentem continuumq; dedit.
 Observans nutus, voces, oracula REGIS.
 Et quæ pro Regno, sint referenda sibi,
 Officium quoddam REGI præstantius instat,
 Quàm semper populis dicere jura suis:
 Et quàm Judiciis insistere sæpe ferendis,
 Quilibet ut legem, justitiamq; ferat
 Judicijs istis pro REGIS munere dandis,
 O quàm confixus, perpetuusq; COMES.
 Nunquam cessavit, nunquam tardavit ab illis,
 Judicis omisit tempora nulla dies.
 Sed pro REGE suo referabat dulce Tribunal,
 Auscultans causas, discutensq; preces.
 Discussis precibus, documentis ordine visis,
 Jam decernebat munere cuncta suo.
 Quot decreta tulit, toties oracula dixit:
 Consona Sarmaticis Legibus, atq; Throno.
 Suscepto vero magno pro Rege labori
 In tot decretis judicijsq; suis.
 Non unô, plùs quàm triginta veriùs annis,
 Instatit, & Sanctum continuavit opus!
 Quis tam quæso diu pro vita, REGIS honore
 Sustinet, & sudat, vultq; subire, pati?
 Multi sæpè cavent pensum, pondusq; laborum,
 Omnes quàm citiùs præmia ferre volunt
 JOSEPH ZALUSKI longissima tempora trivit
 Ante hæc, quàm sacræ sumeret ostra Mitræ

Pro

Pro toto Regno, populo, pro Rege, Senatu
 Pro Sanctæ Sedis Clavibus atq; PETRI
 Sed non hîc JOSEPH ZALUSKI meta laborum,
 Quos pro Rege suo, sustinuitq; Throno
 Nam dum Supremi BENEDICTUS Pastor Ovilis,
 Saxonum AUGUSTI PRINCIPIS, atq; DUCIS,
 Ritè coronaret CAPITIS pia membra, manusq;
 Muneribus Romæ, CASSIDE, & ENSE Sacro:
 Tunc JOSEPH Præful solemnia tanta recensens,
 Scripsit in instanti, nobilis acta Libri:
 Hoc pro scribendo tradendo ritè promendo,
 Libro: sexcentos legerat Ipse Libros.
 Hebdomadaq; Librum totum confecit in una,
 Quem sic impressum sæcula cuncta legent!
 Et mirabuntur studium, grandemq; laborem,
 Præfulis istius, continuamq; sitim:
 Quâ pro Rege suo, tum Regis Principe Magno,
 Certavit, studuit, viscera tota dedit
 Effudit tantos sudores, tempore parvo,
 Et magnum magna condidit arte Librum:
 Magnum non folijs, sed veri cordis amore,
 In Regem! Regis GERMEN ad alta capax,
 Sceptra sui PATRIS: vel quæ fortissima Virtus
 PRINCIPIS istius, conferet, atq; Polus.
 Hic jam sinceri dicendum viscere cordis,
 O quantum Magni Præfulis Ingenium!
 Qui tot Sacra suo complexus numina Libro!
 Et qui tot Reges, enumeratq; Duces!
 Qui de Romanis sumpserunt collibus ENSEM,
 Et meruere caput CASSIDE, forte, tegi!
 Hos verò cunctos, causam præmisit ob illam,
 REGIS ut AUGUSTI, cultus abindè fluat!
 REGIUS ut PRINCEPS, GLADIO cum CASSIDE, cinctus
 Conspectat Regum, signaq; prisca Ducum.
 Exemplis autem Regum succensus, & armis,
 Perficiat Regum munera, gesta, vices!
 Fiat ut electus Princeps, REX, Marte tremendus,
 Atq; domet Lechico castra molesta Throno.

Videatur hic Liber ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Domini, JOSEPHI ZALUSKI, protunc Supremi REFERENDARIJ, Regni Poloniæ, nunc Episcopi Kijoviensis & Czernichoviensis, cui Titulus: Anacleta Historica, de Sacra in Die Natalis Domini, à Romanis Pontificibus, quot annis usitata Cæremonia, Ensem & Pileum benedicendi, eaque munera Principibus Christianis mittendi.

FRAGMENTUM IV.

Quandò coronatum JUNOSSAM conspicis AGNUM,
Albæ Aquilæ signò, REGIS amore, datò:
Id non inideas nam dictus Nobilis AGNUS,
Quamvis stet constans: otia nulla parit:
Ast operi semper præbet se, fertq; paratum,
Continuòq; pedem sublevat atq; tenet.
Ad cursum, stadium, fixam metamq; Supremam,
Ut finem certum, possideatq; Polum!
Candoremq; suum, Regnum diffundit in omne,
Ac in Sarmatici nomina magna soli:
Pro candore suo quonam condignus honore?
Albæ Aquilæ pretium, percipit atq; decus:
Et nil candori fuerat conformius AGNI,
Quàm Regni Lechici, candida semper avis.

FRAGMENTUM V.

IN medio splendore Crucis, quâ cernitur Ordo
Albæ Aquilæ clarus, nobilis, atq; potens:
Stat signata Fides, paritèr Lex, REXq; colendus,
Quatenùs hic Ordo compleat ista tria:
A Cruce tota Fides, Leges, pendentq; Monarchæ,
Convenit ut pariter, pendeat omnis Eques.
Ut Constantinus, signo devicit in isto:
Adversas acies, bella cruenta, neces:
Sic Equites fortes, pugnantes in Cruce Christi,
Victores magni semper ubiq; micent!
Vincat & Invictus JOSEPH ZALUSCIUS hostes,
Et Victor magnus splendeat ante Polum
Vincat, in adversis dextrè, faustèq; triumphet
Ordinis in Sancta, cuncta pericla, Cruce!
Se Constantinum per fortia comprobet acta
Victrices palmas, semper ab hoste ferat.
Post istas palmas tranquilla pace fruatur!
Et diadema beans sumat in arce Poli!

FINIS.



FRA

XVIII.3.139